



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB.BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

56  
D. O. M. V.

DISSERTATIO HISTORICA

De

CYRO MAJORE

primo Persarum Rege;

QUAM

PRÆSIDE

PAULO HACHENBERG,

HISTOR, ET ELOQUENT, PROFESS,  
PUBLIC, ORD.

*Publico Eruditorum Examini in Academia  
Heidelbergensi submittit*

FLORUS VOLKARDUS SLOOT,  
Nob. Transifulanus.

*Ad d. XX. Septembr. In Audit. Phil. H.L. 2.5.*



Typis WILHELMI WALTERI, Acad. Typogr.  
MDCCLXXIII.

SERENISSIMO PRINCIPI AC  
DOMINO

DN. CAROLO  
LUDOVICO,

D. G. COM. PALAT. AD RHENUM,  
DUCI BAVARIÆ.

S. ROM. IMP.

ELECTORI et ARCHITHESAV-  
RARIO.

QUOD. SUMMA. EJUS. CLEMENTIA.  
HACTENUS. GAVISUS. ET. MAXIMIS. EJUS. BE-  
NEFICIIS. FRUITUS. FUERIT; HANC. DISSER-  
TATIONEM. DE. VITA. CYRI. MAJORIS. MAXI-  
MI. REGIS. PERSARUM. ACADEMICI. STUDII.  
PRIMITIAS. AUGUSTO. EJUS. NOMINI. CONSE-  
CRARE. VOLUIT; UT. CUI. CIVES. TRANQUIL-  
LITATEM. MUSÆ. DECUS. ET. SPLENDOREM.  
DEBENT. IPSE. QUOQUE. NON. SOLUM. SUA.  
STUDIA. SED. SUAM. ETIAM. FELICITATEM.  
DEBERI. OSTENDERET.

DEVOTISS.

FRLORUS VOLKARDUS SLOOT.



# CYRUS MAJOR.

## *Thesis I.*

**P**ersarum obscura admodum fama usq; ad Cyrum fuit, qui ademptum Medis Lydisque imperium primus in Persidem intulit, & Asiâ subactâ maximum ac florentissimum regnum constituit.

*Curt. l. 4.  
c. xiv.*

Is maternum genus traxit ab Astyage Medorum rege, paternam stirpem tenui loco ab Persis hausit; quippe Astyages, quum prolem filiae Mandanae imminere Medorum fastigio accepisset, eam Cambyfi Persae, viro mediocri despondit, ne paterna nobilitas, & sanguinis gloria nepotem in avi perniciem animaret. Nam uti parentum splendor & claritudo magnos plerumq; spiritus filijs imponunt, eosque fortunæ & favori populari conciliant; ita sæpè majorum sordes multis obfuere, ne aut animus in præclaras se spes attolleret, aut felicibus successibus famam suam propagaret. Tenebatur fama, puerum ab Harpago, regio ministro, cui Astyages necandum eum tradiderat, in sylvas abjectum fuisse; inde canem foeminam ad puerilem vagitum flexisse cursum, & summissas infanti mammas præ-

*Herod. l. v.*

*Herod. l. i.  
Justin. l. i.  
c. 4.*

A 2 buisse,

## C Y R U S

buisse , donec à pastore regij pecoris domum asportaretur. Sed ea nec affirmare , nec refellere in animo est ; quum hæc venia detur gentibus , ut miscendo vera falsis , & fata atque ostenta in partes trahendo , primordia Principum suorum augustiora faciant,

### II.

Postquam adolevit Cyrus , intelligit per literas ab Harpago , *ut ablegatus in Persas ab avo fuerit : ut occidi eum parvulum jussisset : ut beneficio suo servatus sit : ut regem offenderit : ut filium amiserit.* Ita haud falsa jaëtabantur ; etsi justam nondum causam præbere viderentur , quare aut Cyrus in avum violentis insurgeret consilijs , aut Harpagus dominum sceleratâ proditione perderet. Nam quòd Cyrum in Persiam misisset , quòd infantem trucidari jussisset , quòd iniquò adversus eum animò fuisset ; id salus regnantis , & ratio Reip. excusare poterant , quibus & liberorum pignora , & sanguinis necessitudo cedunt. Nec Harpago justa vindicta adversus Principem suum erat , quòd filium patri vorandum tradidisset : nam ipse sprete imperij crimine obnoxiam animam , omnique supplicij ream ducebat. Et boni civis est amare ac tueri præsentem qualemcunq; Reip. statum , etsi privatis injurijs violatum se à regnantis majestate , & læsum cognoscat. Ratio severi illius juris est , quòd *habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum , quod contra singulos utilitate publica rependitur.*

*Tacit. IV.  
Annal.*

### III.

*Herod. l. I.* Sed Cyrus , quum jam & ætas , & Harpagi consilia animum ad regni cupiditatem instigâssent , sollici-

M A J O R

sollicitandum prius , & tentandum populi favorem statuit , quàm majora negotia aggredieretur. Sæpe enim clarissimi homines ivére præcipites, dum aut inconsultô studiô ad sceptri dignitatem processére , aut uno impetu multitudinem in suum pertrahere obsequium contenderunt. Igitur convocatô populô , jubet omnes præsto cum securibus adesse, & sylvam viæ circumdatam excindere : quod quum strenuè factitassent, eosdem postridie ad convivium & epulas invitat. Ibi quum vinô & lætitiâ fluerent omnium animi, apertè expromit , quid mente sua secum versaret. Nec abhorruere Persæ ab istis consilijs , quibus bellum adversus Medos suadebat ; tum quòd pulchrum videretur , suos in Persia regnare ; tum quòd blandô libertatis vocabulô rapti , avarum & crudele Medorum imperium detestarentur. Et illa semper populi consuetudo fuit, ut odiô præsentium , & cupiditate mutationis suæ , ad nova imperia lætetur , semperque meliorem sortem alijs sub dominis expectet.

*Polyæn. l. 7.*

*Justin. l. 1.  
c. 71.*

IV.

In hoc tantarum rerum molimine , Cyrum fortem ac prudentem virum fuisse comperio , dum non fortunâ , quæ multos ad fastigium rerum humanarum provexit , sed singulari virtute & industriâ imperium sibi quæsit. Etsi non dissimulandum sit, præbitam à fortuna oblatamque fuisse occasionem , quæ & facultatem agendi , & opportunitatem consiliorum suggesserit ; quâ semotâ fortasse jacuisset virtus illa , & obtorpuisset. Ita que ut Cyrus imperium sibi pararet , necesse fuit , Persas regno Medorum esse infensos ; necesse fuit , ut ipsi Medi diutinâ pace & otio

A ;

fracti

C Y R U S

*Herod. l. 1.* fracti elanguerent. Suprà istam ignaviam accessit exitialis error Astyagis, qui Harpago, quem injuriæ dolor in regem stimulabat, exercitum & militem commisit; nimirum ignarus, semper periculosum fuisse Principibus, armare ministrum ferrò, & copijs instruere, quem injurijs prius gravissimis, & ignominiâ exagitaverant. Falluntur enim, qui novis beneficijs magnos induci homines existimant, ut veterum injuriarum memoriam ex animo deleant, & omnem contumeliæ sensum deponant. Prudentius ille judicavit, qui magnos homines aut nunquam fodicandos, aut si fodicaveris, tollendos arbitratur.

V.

*Justin. l. 1. c. VI.* Exacerbatis Persarum Medorumque animis, res prælio decretorio commissa est, in quo fortuna universum Asiæ imperium victori reservaret. In ea pugna quum pulsa Persarum acies cederet, Cyrus militem forti esse animo jussit, salubrique figmentò decem millia armatorum ad auxilium properare affirmavit. *Polyæn. l. 7.* Prudenter enim sciebat famâ constare bellum, & sæpe etiam, quod falsò creditum est, in spem impellere animos; præsertim ubi res adversas prudens imperator sapienti dissimulatione occultat. Cæterum capto Astyagi Cyrus nihil aliud, quàm regnum abstulit, eumque maximæ Hyrcanorum genti præposuit: contentus, nihil ex rege victo præter gloriam sumere, & injuriæ tantum eripere licentiam, quod pulcherrimum & tutissimum victoriæ genus est.

VI.

*Herod. l. 1.* Post fractas Medorum res, arma in Croesum Lydorum regem versa sunt, qui ea tempestate tantis flore-



M A J O R.

florebat opibus, ut omnem Asiam magnitudine nominis sui impleret. Causa belli erat, quod Croesus Persicis incrementis iniquus, & Astyagis fortunam impotenter misertus, omnem ferè Asiam adversus Persam concitaret. Id prudenter quidem abs Croeso factitatum est, quum se ipsum plerumque perdat, & fortunam suam præcipitet, qui aut alienam vicini potentiam fovet, aut illam formidatis insurgere incrementis patitur. Sed & Cyro justa fuit causa, ut molestum illum vicinum, qui triumphos & successus ejus interpellabat, armis amoliretur. Etenim cæterorum mortalium consilia in hac potissimum cura versantur, ut vim omnem à capite suo & vita propulsent; Regum autem illa conditio est, ut illos quoque justis avertant armis, qui aut gloriam eorum obscurant, aut successus intempestivo timore impediunt. Nam ut rectè Divus Augustinus scribit: *cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur.*

Xenoph.  
l. vii.  
Cyropa.

Augustini.  
Epist. V.

VII.

Commissio prælii exercitus Lydorum funditur, ipse Croesus capitur; memorabile exemplum, quam fragili ac lubrico fastigio innitantur, qui suis viribus & opibus insolescunt, ac præsentis fortunæ credunt. Sed capto Croeso & vita, & patrimonij partes, & urbs Barce concessa sunt; in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen regiae majestati degeret. *Hæc clementia*, ut inquit Justinus, *non minus victori, quam victo utilis fuit.* Quippe ex universa Græcia, cognito, quod illatum Cræso bellum esset, auxilia velut ad extinguendum incendium confluebant; passurusque Cyrus grave bellum Græcia fuit, si quid in Cræsum crudelius consuleret.

Herod. l. i.

Justin. l. i.  
c. vii.

## C Y R U S

*luisse.* Mihi quidem res veteres legenti, illi semper bellis suis egregium imposuisse finem visi sunt, qui ignoscendo transegerunt: qua re populus Romanus magnitudinem suam adauxit. Vivet enim semper in pectoribus eorum, qui victi sunt, quidquid victoris benignitas præsenti in calamitate indulserit; *eritq; id firmissimum longè imperium, quò obediētes gaudent,* ut Camillus apud Livium censet.

Liv. l. 3.  
c. 13.

## VIII.

*Sed interjecto deinde tempore,* ut Justinus memorat, *occupatò in alijs bellis Cyrò, Lydi rebellavere: quibus iterum victis, arma & equi adempti, jussiq; cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere.* Quid hoc supplicio spectaverit Cyrus, non obscurum illis est, qui intelligunt, quantam vim in animis corrumpendis effoeminandisque habeat prava educatio, præsertim ubi ab armorum tractatione populus arceatur. Nam ut rectè Justinus de Lydis subjungit: *Et sic gens industria quondam potens, & manu strenua, effoeminata mollitie luxuriaq; virtutem pristinam perdidit; & quos ante Cyrum invictos bella præstiterant, in luxuria lapsos otium ac desidia superavit.* Eodem modo domuit Xerxes Babylonios, Aristodemus Cumanos, Sesostris Ægyptios; & autor est Tacitus, *Romanos voluptatibus plus adversus subjectos, quàm armis valuisse.* Nam facile fortissimi etiam animi voluptatibus succumbunt, & otio deliquescunt; nec tutius remedium adversus metum ferocium populorum est, quàm ubi ad delinimenta vitiorum dimittantur, suoq; luxui relinquantur.

Justin. l. 1.  
c. VII.

Plutarch.  
apoph. Reg.  
c. VI.

Dionys. Ha-  
licar. l. 7. c. 8.

Tacit. hist.  
19.

IX. Se-

M A J O R

IX.

Secuta inde Babylonis obsidio, quod Urbs *Herod. l. i.*  
 illa imperio Asiae superba, & moenibus valida crescen-  
 tes Persarum opes despiceret, & simul impediret. Res  
 immensi laboris & operis erat, quum & ipsa Urbs suis  
 munimentis ac annonâ pollens, omnes facile insultus  
 propulsaret, & omnis ferè Asia sedibus suis excita, ad  
 auxilium adesset. Sed Cyrus, quum civitas festo die  
 in otium & lasciviam se effunderet, per siccatum Eu-  
 phratis alveum immisit militem, urbemque somnô &  
 vinô sepultam oppressit. Præbitum tunc exemplum  
 fuit, frequentissimum initium calamitatis esse nimiam  
 securitatem; & nullos celerius in malam incidere rem,  
 quàm qui omnem ex animo metum abjecere. Do-  
 mita urbe victor præsidium validum arcibus imposuit,  
 & per præconem edixit, ut cives traditis armis ad agrû  
 colendum discederent. Prudenter enim animadver-  
 rebat, Urbem validam & ferocem haud teneri posse,  
 nisi cives exuisset armis, & ad ignavas imbellesque  
 artes transtulisset. Nam qui victis ejusmodi civitatibus  
 arma relinquunt, similes mihi videntur illis, qui bel-  
 luas feroces venando nacti sunt, & solutis inde vinculis  
 irritatas in exitium suum demittunt.

*Xenoph.  
Cyr. l. vii.*

X.

Sublatâ in eam magnitudinem re Persicâ, pri-  
 ma & maxima cura Cyrum incessit, ut tantum impe-  
 rium conservaret. *Magna enim res est, ut ipse apud* *Xenoph.*  
*Xenophontem differit, imperium esse partum: sed mul-* *Cyrip.*  
*to major, acceptum conservare. Nam adipisci saepe au-* *l. vii.*  
*daciam tantum adhibenti contigit, sed acceptum retinere,*  
*id non absq̃ temperantia, neq̃ absq̃ continentia, neq̃ absq̃*

B

*multi-*

## CYRUS

*multiplici diligentia evenit.* Adeò verum semper fuit, fortunam citius reperiri, quàm retineri; quum levissimus sæpe casus sufficiat, ut in magnam prædam incumbas; sed ut eam feliciter teneas, ut diu tuearis, rationi & salubribus consilijs, & magno labori debetur. Nam & fortunam tuam invidi atque hostes circumstant, & insidijs petunt; & tu ipse, uti secundis rebus plerumque luxuriantur animi, lata initia atroci sæpe exitu corrumpis.

## XI.

Igitur primùm sibi curandum omni studiò putavit, ne quem novi principatus poeniteret; prudenter arbitratus, facilè externos propulsari posse hostes, ubi inter suos fidum obsequium, stabilemque pacem sibi, quæsvisset. Inprimis suæ esse prudentiæ duxit, ne violentis remedijs exasperaret principatus initia, quum eadem regnorum recentium ratio, ac arbuscularum sit, quæ tenellâ curâ foveri aliquæ cupiunt, donec conceperint, radicesque altiùs egerint. Nec enim satis periti rerum sunt, qui regnandi recentes, uno veluti ictu, tollere libertatem populi, suamque asserere potentiam statuunt; quæ res Julium Cæsarem præcipitem egit. Sed quum diversas gentes, dissonas sermone moribusque, suo subjectas imperio videret, diversò quoque imperiò tenendas eas, regendasque existimavit; aliter enim Persæ, aliter Medi, Lydi, Babylonij, cæterique devicti populi regnari volebant. Qua in re tutissimum fore remedium putavit, si victas gentes, & imperio Persico additas, primùm armorum defuetudine mitigaret, inde illis manciparet studijs, quibus effœminari frangique animi, & cadere præcipites

tes

M A J O R

res ad servitia solent. Itaque arma & tela ferocibus *Xenoph.*  
 ademit, eos ab usu belli, ab exercitatione liberalium *Cyrip. l. vii.*  
 laborum prohibuit, & ad agrum ferendum colendum- *& viii.*  
 que, aut ad alias artes ignavas dimisit; denique fero-  
 cissimum quemque in Persiam traduxit, ut aliena in  
 regione à studijs factionum detineretur. Atque istis  
 artibus factum est, ut populus victorijs terrarum su-  
 perbus, paulatim ignaviâ suâ elanguesceret; nemine  
 adversus Persas insurgente, quum fortissimi quique  
 aut in Persia hæerent inglorij, aut spe & metu in ob-  
 sequium Cyri transfirent.

XII.

At majores' artes in Persis subjugandis divin-  
 ciendisque requirebantur, quum & armati essent, &  
 præclara facinora domi militiæque patrâssent, & ex  
 gente sua Cyrum ad imperium subvexissent; quum-  
 vé multi tantis præditi essent animis, ut regij fastigij ca-  
 paces viderentur. Reputans igitur secum, & confide-  
 rans, quomodo & ab his imminens periculum evita-  
 ret, & ad firmum obsequium cunctos assuefaceret;  
 armis quidem despoliare eos, & reddere infirmiores,  
 nec tutum, nec facile fore putavit, quòd insigni id  
 injuriæ conjunctum, & ad turbandum imperium per-  
 tinere arbitraretur. Et periculosum judicabat, si non  
 admitteret Persas, suamque diffidentiam manifestâ in-  
 juriâ ostenderet; quum nulla magis res indignitate  
 animos hominum angat, & inflammet, quàm ubi in-  
 nocentiam suam pollui dirâ suspicione, & violari  
 animadvertunt. Ergo *unum illorum omnium loco, ut*  
*scribit Xenophon, & plurimum, ut ipse in tuto esset, Xenoph.*  
*profuturum, & specie honestissimum visum iri intellexit, Cyripa.*

CYRUS

*si perficere posset, ut proceres & optimates sibi amiciores haberet, quam ipsi inter sese essent.* Ut hoc efficeret, rarâ ac inusitatâ, & omnibus obviâ comitate populum proceresque excepit, plebem ad promiscuas salutationes admisit, humanitate cum infimis quoque certavit; quibus reb<sup>9</sup> cunctos sibi tenacissimè devinxit, animosq; omnium suos fecit. Nimirum non aliud grandius majestatis decus, & munimentum est, quàm civile illud Principum ingenium; quod qui vituperandum, & ad contemptum regnantium pertinere putant, nec illi verum justumque majestatis pretium ignorare videntur. Pulcherrima illa Traiani laus apud Plinium est: *Unum ille se ex nobis putat, & ideo magis excellit, quia se unum ex nobis putat.*

Plin. Sec.

XIII.

Adauxit istam populi benevolentiam, & in se intendit, quod honoribus militem, populum liberalitate, amicos magnis muneribus exornaret; haud ignarus, melius beneficijs, quàm armis imperium custodiri. Ac quum animadverteret, *nullum hominibus inter ipsos beneficium gratius jucundiusq; esse, quàm cibi ac potus communicationem*, ut Xenophon refert; plerumque Proceres suæ adsidere mensæ jussit, tum eosdem cibos, quibus ipse vescebatur, alijs apponi imperavit; sæpe etiam de coena sua absentibus cibos mittebat. Vilia ista quidem, & inania re ipsâ sunt; sed tamen, quemadmodum larvis & crepundijs capi solet innoxia puerorum ætas, ita externa illa & levia honorum oblectamenta magnos quoque animos afficiunt, & simul obstringunt. Ac illis quidem rebus obtinuit Cyrus, ut populi ipsum in summo honore & cultu haberent, & quisque

Xenoph.  
Cyrup.  
l. VIII.

M A J O R

quisque tanto subesse Principi gauderet, quod cum civibus suis, quasi parens cum liberis viveret. Sed firmissimum, sed pulcherrimum est imperium, quod obediens latantur; & candida his ac læta omnia semper fluxere, qui amorem apud cives, metum apud hostes quæsivere.

XIV.

Inter hæc, velut præcipuò retinendi imperij instrumentò, religione ac cultu deorum obstringendum populum judicavit; quod arbitraretur, ut Xenophon de eo scribit, *Si participes rerum communium pietatem erga numen divinum omnes colerent, minus futuros eò animò, ut aliquid designarent, quod nefarie fieret, vel inter ipsos, vel erga sese, qui multorum beneficiorum ipsis autor conciliatorq; esset.* Hinc instituit, ut magi primà luce patrium cantarent carmen, & populum ad Deorum laudes vocarent: ipse plura sacra obibat, & familiam suam ritibus ac ceremonijs plurimis onerabat. Scilicet expedit Reipublicæ, & interest ipsius Principis, ut populus religioni obnoxius, numen divinum & mente & voce veneretur. Præterquam enim quod res ad multitudinem regendam efficacissima sit, ubi Deorum metus animis offusus est; sanè religio cohibet pravas mortalium spes, & à Principis contemptu injuriaque arcet, dum quisque interesse rebus humanis numen cæleste putat, cujus ope aggredi cuncta Princeps videtur. Ac falluntur illi, qui eò munitiores reges censent, quò illi, quibus imperitant, nequiores sunt; quod hos servitutis patientiores arbitrantur. Tanquam non pessimus quisque asperrimè rectorem pateretur; tanquam non

Plin. Pa.  
neg.  
Sallust. ad  
Casarem.

CYRUS

facile in omnia scelera ac flagitia rueret, ipsique sacro Principis capiti insultaret, qui omnem Deorum metum & reverentiam è pectore abiecit.

XV.

Xenoph.  
l. 8.  
Cyripa.

*Perspexisse autem in Cyro videmur, inquit Xenophon, quod non statuerit ille tantummodo, oportere Principem bonitate atq; virtute prestare subjectis potestati sua, sed hos praestigijs etiam quibusdam circumveniendos esse putaverit: & ideo vestitum Medicum usurpavit gestando ipse, & ut eò induerentur, rerum communium socijs persuasit.* Erat autem vestis Medica in longos sinus fluens, quæ & corporis vitia ac nevos contegebat, & decus ac gravitatem homini circumponebat. Sed & quoties in publicum procedendum erat, currum Jovi sacratum, & Soli dicatum equum præmitti jubebat; ipse purpureâ togâ, & cydari, & veste aurô gemmisque distinctâ insignis, in sublimi curru vehabatur: proximi ibant sex mille satellites, & longè majores Equitum ordines sequebantur. *Ita conspicati ipsum, ut loquitur Xenophon, omnes humili gestu projecti in terram venerati sunt; sive factò initio ab aliquibus, qui id facere jussi essent, sive illo apparatu animis omnium percussis, apparentiq; specie illa majestatis & pulchritudinis Cyri.* Nempe externâ illâ pompâ capi gaudent populorum animi, & facile in venerationem compositi ruunt, ubi regnantium majestas insueto apparatu oculis se offundit. Sæpè ista rerum externarum concursio attulit auctoritatem, dum vulgus omne ignotum pro magnifico ducit, & Imperatores suos splendore & decore comitatus domestici comparat.

XVI. Sed



M A J O R.

XVI.

Sed quum intelligeret , patere vel unius infidijs regem , & nihil nefas esse avaritiæ , armatis corpus circumsepiendum , & à domesticis hostibus munendum censuit. Nam etsi pulcherrimum quidem, & firmissimum munimentum illi sibi Principes compararint, quos caritas civium & populorum amor tutantur ; tamen illa corporis custodia adeò necessaria est, ut iudice magno illo Ponti rege , vel canes adhibendi sint , ubi homines defuerint. Sed Cyro magnum & anceps diu consilium fuit, quinam potissimum ad custodiam corporis legendi forent , quive cæteris mortalibus fide & obsequio præstarent. *Statuit autem , ut Xenophon ait , neminem omnium fidelem fore unquam, qui alterum magis diligeret eò , cui opus custodia esset.* Hinc primum illos rejecit , qui aut vagis amoribus ardebant , aut sese uxoribus alligaverant ; nam illos & amplexuum desiderio , & amoris impatientiâ , hos naturæ vi ac necessitate impelli existimabat, ut summa fide , & studio in lecti delicias & matrimonij pignora incumberent , privatumque affectum publicæ utilitati anteferrent. Quibus illecebris quum Eunuchos nec urgeri, nec occupari cognosceret, illud hominum genus opportunissimum , & dignissimum censuit, cui corpus suum committeret. Nam hos in fidissimum obsequium facile duraturos putabat , ubi aut divitiis accumularentur , aut ad honores & dignitates attollerentur ; quod utrumque in magno imperio facillimum sibi factu intelligebat. Ac quum apud cæteros mortales bonâ existimatione & famâ haud fruerentur,

Xenoph.  
Cyropa.  
l. VII.

COS



CYRUS

eos dominò indigere animadvertibat , cui corpora & animas religiosissime addicturos judicabat , si contemptum & injuriam ab illis propulsaret. Nec robur Eunuchis , & vires deesse arbitratur , quum & equi feroces , & tauri improbi , & canes bellicosi , ubi castrati sunt, non tam vires & industriam , quàm proceram animi magnitudinem , & protervam contumaciam deponant.

XVII.

*Xenophon.  
Cyrip.  
L. VII.*

His impulsus rationibus , cunctos , quibus corporis curam concedebat , despoliari eâ parte iussit , quâ viri essent. Id factum apud prudentes Persas variè extollebatur arguebaturve ; sed nobis eorum sententia potior habetur , qui vituperabant. Quid enim semiviris regale tradit corpus , qui hominibus imperat ? nam uti illa satellitij vilitas & sordes regio fastigio indignissimæ sunt , ita eorum animos inflammant , & exulcerant , qui se viros , hominesque meminerunt. Et frustra fidem ac perpetuum obsequium ab illis sibi promittit , qui levitate & mobilitate animi insignes sunt , postquam virum exuerunt ; quos proterva ambitio transversos plerumque rapit , & divitiarum scelerata cupiditas in atrocissima scelera detorquet. Nec prudenter statuit , homines matrimonio devinctos à tutela regalis corporis submovendos , quòd majore fide ac amore in uxores liberosque , quàm in Principem ferantur. Sanè tantò sanctior firmiorque horum fides est , quantò plura vincula eos Principi adstringunt. Dum enim vota ac spes suas domi alunt , dum rerum & fortunarum suarum sedem humo patriæ affigunt , suam salutem in Principis anima & felicitate versari

M A J O R

versari putant, & non esse sibi usui crebras regnantium mutationes opinantur. At alij, quos nulla prolis aut thalami cura stringit, proniores & faciliores sunt, mutare dominum, & in facinora prava abire, quum nulla domi necessitudo sit, quæ animum omnibus impedimentis vacuum cohibeat atque absterreat. Haud incongruè huc trahi possunt illa Bessiverbi apud Curtium, qui de Patrone, duce Græco referebat: *Non mirari se, hominem mercede conductum omnia habere vernalia; sine pignore, sine lare, terrarum orbis exsulem, ad nutum licentium circumferri.* Curt. l.v. c. xii.

XVIII.

Nec minùs exornandæ Reipublicæ, quàm regni sui firmandi memor, præclaris institutis populum Persicum composuit; omni annis studiò, ut legibus moribusque aucta & beata Respublica esset. Sed inter cætera egregia instituta sancivit, ut Persæ omnes, quum antea equorum nullus in Persia usus foret, equites essent: unde illa apud Xenophontem vox: *Quod felix & faustum sit, equites efficiamur.* Xenoph. l.v. Ab ijs auspicijs militia illa equestris profluxit, quæ postea in Persia viguit, & hodierno adhuc die sola pretium habet. Haud sum nescius, laudatum à prudentissimis scriptoribus illud Cyri institutum, quum veteres præcipuum militiæ robur in equite situm putarent. Aristot. l.v. Polit. c. xiii. Nam ut Polybius scriptor in omni re bellica & civili peritus asserit: *Melius est ad belli usus dimidiam partem peditum habere, & prevalere numero equitum, quàm omnia paria hostibus nactum in aciem descendere.* Polyb. l. iiii. Sed tamen illud nobis dicendum est, in universum æstimanti plùs penes peditem roboris esse; ut antiquissimi

CYRUS

*Tacit. de morib. German. man. Veget. de re milit. l. II. c. II.* simi Germani auctore Tacito censebant. Neque enim aut ad oppida propugnanda & expugnanda, aut in montosis impeditisque locis magnus equitum usus est; *ex quo intelligitur*, ut rectè judicat Vegetius, *magis necessarios Reipublicæ pedites, qui possunt ubiq; prodesse.* Nec alia est ratio, quare magnis hodie claudibus Persæ à Turcis premantur, quum hi Persas in locis plerumque montosis & impeditis aggrediantur, ubi illa equestris procella nec se in impetum effundere, nec in occursum aut fugam se laxare potest.

XIX.

*Xenoph. VIII. Pad.* Inde quum pacis tempore erudiri juventutem ijs artibus cuperet, quibus ingenia ad militiæ armorumque usum excitantur, venationem instituit, *quòd illam duceret tum bellicæ rei totius optimam meditationem esse, tum equestris longè verissimam*, ut Xenophon de ipso scribit. Hinc ipse sæpius venatum exhibat, & juventutem adesse prima luce jubebat, ut secum lustraret saltus, montium juga superaret, & feras cubilibus suis excuteret, ac persequeretur. Etenim heroicum hoc studium est, quod agitatione motuque corpus robustum reddit, & ad algorem, æstum, sitim, laboresque ferendos hominem assuefacit; dumque feras & immanes belluas aut robore, aut calliditate superari jubet, ad omnem bellicæ disciplinæ similitudinem & scientiam animos exercet. Sunt tamen, qui illud Cyri institutum Principibus ac civibus damnosum putant, quive venationem cum Sallustio servile officium appellant. Nos Plinio minori subscribimus, qui venationem in Trajano suo laudat, & rectè concludit; *Olim hac experientia juventutis, hac voluptas erat* his

*Plin. in Pa-  
neg.*

MAJOR

*his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu: nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum, & obsidione quadam liberatus agrestium labor.*

XX.

De morte Cyri duplex fama est; alij prælio captum eum à Tamyri Scytharum regina, & abscisso capite necatum tradunt; alij placida morte defunctum in Persia scribunt, quum regnandi curis lassatus, & senio fractus infirmam diu ætatem traxisset. Nobis eorum placet opinio, qui sua Cyrum morte obiisse memorant; in qua sententia Xenophon est, qui sanctissimam morientis orationem nobis reliquit, cujus & Cicero in Catone majore meminit. Nam quum ultimum vitæ finem imminere sibi animadverteret, convocatis filiis & proceribus Persarum, primum concordiam & amorem mutuum filiis commendavit, quod ijs rebus magna & inclyta regna semper stetissent; inde multa de animæ immortalitate, & felicitate illa disseruit, quâ mentes hominum fruuntur, ubi è corporum custodia & vinculis excefferunt. Quam Orationem quum Julius Cæsar apud Xenophontem legisset, *aspernatus tam lentum mortis genus*, ut Suetonius scribit, *subitam celeremq; sibi optavit; nam & pridie, quàm occideretur, in sermone nato super cœnam apud M. Lepidum, quisnam esset finis vitæ commodissimus, repentinum inopinatumq; prætulera.* A qua Viri summi fortissimique sententia non discedimus, si summa hominis felicitas dicenda est, ubi morte repentinâ & subitariâ animam effundit, uti Plinius affirmat; qui

Herod. l. I.

Iustin. l. I.

c. VII.

Xenoph.

Pædia. l.

VIII.

Xenoph. l.

VIII. Pæd.

Sueton. in

Iul. Cæs.

cap. 87.

Plin. hist.

nat. l. VII.

c. LIII.

CYRUS MAJOR

naturalem illam pluribus exemplis docet. Profectō

& rectè , & prudenter apud Marcellinum Julianus

Am. Mar-  
tell. Imperator moriens ait : *Sempiternum numen veneror,*  
*quòd non longâ morborum asperitate decedo.*



Corolla-



C O R O L L A R I A.

R E S P O N D E N T I S.

1.

**R**eges, qui summam potestatem non habent, improprie Reges vocantur.

2.

Populus, qui supremam potestatem alicui concessit, postea de ejus actionibus, an bene vel male agat, non potest judicare.

3.

Patientia non meretur locum inter virtutes, quia ignavum est, debere pati.

4.

Errant, qui matrimonium duce amore in eundum esse censent, quum solus amor nemo beatum possit efficere.

5.

Male disceptatur, quanam res pro summo bono habenda sit, quia suum cuique pulchrum videtur.

6.

Errant, qui avaros infelices aestimant; nam

hi tantam voluptatem in acquirendis  
divitiis sentiunt, quantam alii in consu-  
mendis.

7.

Dubitat Tacitus, propitii, an irati Dii au-  
rum & argentum Germanis negaverint?  
Puto propitios negasse.

8.

Stolida eorum ambitio fuit, qui ante secu-  
lum putavere, nullam in Germania fa-  
miliam nobilem habendam esse, qua non  
originem suam à Trojanis deduxisset.  
Nam cum Tacito eorum opinionibus ac-  
cedo, qui Germania populos nullis alia-  
rum nationum connubiis infectos esse  
arbitrantur.

9.

Rectè Germani existimarunt apud Cesa-  
rem, qui sic de iis loquitur: Vinum ad  
se importari omnino non sinunt, quod  
eâ re ad laborem ferendum remollescere  
homines, atq; effœminari arbitrantur.

10.

Inventum illud Ægyptijs alijsq; gentibus  
fuit



fuit utilissimum, quod religionem suam  
sub fabulis involverent.

11.

Sanctius & reverentius est, de actis Deo-  
rum credere quam scire. Tacit.

12.

Omne ignotum pro magnifico habere, tum  
etiam suas res tantum admirari, non  
magni animi est.

13.

Non semper oportet consilio credere, quia  
suam habet fortuna rationem.


14.

Homines merè Philosophi Reipubl. inutiles  
sunt, sive eos ut privatos consideres, sive  
eos regimini ipsi adhibeas.

15.

Scientia Rempubl. gubernandi plus in usu  
consistit, quam quòd præceptis tradi  
possit: hinc felicius aliquando homines  
sanò tantum judicio præditi, quam docti  
& varijs scientijs imbuti Rempubl. ad-  
ministrabunt.

F I N I S.



Kd 2246

ULB Halle  
002 800 578

3



5b.

mit V 17







Farbkarte #13

B.I.G.

M. V. 56

HISTORICA

MAJORE

um Rege;

DE

CHENBERG,

UENT, PROFESS,

ORD.

*amini in Academia*

*submittit*

ARDUS SLOOT,

fulanus.

*Audit, Phil. H.L. 2.5.*

TERI, Acad. Typogr.

XXIII.